

A


10-50-



81


127.

UNIVERSITY LIBRARY





111848157



R. 8436

B?

LVDOVICVS.

Tragicum Syluiludium

Auctore

Mario Bettino Bononiensi è Socie-
tate IESV.



PARMAE, M. DC. XXII.

Apud Anthæum Viothum.

Superiorum Consensu.

del collegio de le comp? de ges, de ges.

P. Marius Bertinus Sacerdos nostræ Socie-
tatis Drama confecit, quod inscribitur:
Ludouicus Tragicum Sylviludium, quod cum à
Patribus in id muneris deputatis Romæ de
more recognitum fuerit, & approbatum, po-
testare, quam admodum R. P. Generalis Mu-
tius Vitellescus nobis fecit, pro parte nostra
concedimus, ut in lucem edatur; cōfidimusq;
illud non solum iucundum, sed utile non me-
diocriter futurum. In quorum fidem, &c.

Forolini die 8. Iunij 1622.

Marcus Garzonius Prouincialis.

Locus Sigilli.

Imprimatur.

Inquisitor vidit.

Imprimatur.

J. Cornaz. Vic. Gen.

LVDOVICO XIII

Magni Henrici maximo filio,
Vindice Astræ ferro aurei sæculi
Reparatori,
Gallico in religionis perduelles fulmini;
Cuius facies Martio sudore nitidatur,
Dextera bellico decoratur puluere,
Regia chlamys rebellium cruore purpuratur;
Cuius in castris, velut in astris,
Diuinarum laudum resonant chori;
Cuius à militia exulat malitia,
Clementiæ corculo, Iustitiæ oculo,
Pudicitiæ speculo
Sylvestres Musæ sub victricibus eius lauris
Minora veris, inferiora meritis
Duodenum ante annum vaticinantes,
Patriæ virtutis, ac benevolentiæ in
Socieratem I E S V hæredi
Hanc è poëticis flosculis corollam
Adplegebant
Grati animi monumentum.

4
REVERENDISS. PATRI,
ac D. Abbati, ac
GENERALI PRAESIDI
Congregationis Cassinensis
Monachorum D. BENEDICTI
ANGELO GRILLO

Marius Bettinus S.

Ad te unum, secundum Regem, Re-
uerendiss. Praeses, iure spectat huins
principia pars Dramatis. Huins
principia pars Dramatis D. est Ae-
gidius, quem Tritthemijs sacra ac-
censet familie, cui tu prestantibus praestas pro meriti-
tis. Quid nite suum ille Praesidem per me nunc re-
uisat, ac vereatur? Drama hoc est, hoc est poesis.
Eccus potius, quam tibi Etruscorum poetarum
maximo congruat? Video te D. Aegidio, non so-
lum religione, sed etiam generoso saecularis opulen-
tia,

tie, atque humani fastus contemptu perquam
 fū-
 millimum. Quemadmodum enim illerégia stirpe
 clarus, virtute præclarus, ingentibus posthabitis
 dinitis, ille sus à vitijs, e felicibus Attici littoris
 oris fortunato marina tempestatis infortunio, atq;
 errore iactatus, Gallicis sinibus exceptus, inter
 abdita ferarum lustra latere voluit, diu non va-
 luit; haud impari exemplo tua te nobilissima Ge-
 nuenium vidit Respublica, abiectis nobilissimæ fa-
 miliae tua opibus, reiectis delitijs in monasticæ vite
 illustres tenebras cœlestium bonorum amore abdu-
 etum, non abditum. Virtutis enim tua nitidissima
 lux clarius obscuris promicat è tenebris. Illa
 te ad istud religiosi fastigium imperij, communi
 sapientissimorum Patrum suffragio, iam tertium
 euexit, ut cunctis pateret mortalibus, quantus in
 omni virtutum sis genere, qui tam amplio, tamq;
 illustri religiosorum virorum præsis cœtu, quem
 post annosam labentium seculorum vetustatem no-
 nis semper virtutum exemplis florentem susperi-
 mus, quem tot Dynastarum, Ducum, Regum, Im-
 peratorum, sacerorū Præsulium, summorum Pontificū
 fulgentissima sydera, quasi Cœlū collustrarunt. Hu-
 iusque religiosi orbis motum, & cursum moribus nō

minus, quam nomine, Angelus moderaris, ac
 temperas. Temperas imperium moderatione, po-
 testatem temperamento moderaris. suauissimum
 sine imperio exerces imperium, & iubere cum pos-
 sis, mauis rogare: ceteris potestate superior, facili-
 tate par singulis. Non sceus, ac Sol astrorum rex
 aureus, qui obliquam Zodiaci orbitam terit, ut
 omnes terrarum oras aqua, si non aequali, tempe-
 rie foueat; tu etiam sapientiae radijs illustrissimus
 ad singulorum genium, quæ licet, tete obliquas, ut
 omnium profis ingenij. O cœlestem iterationa-
 lium cœlorum in terris moderandorum Intelli-
 gentiam! O te & regendi motu, & canendi sua-
 uitate plane Angelum! E cœlo delapsus es, ut no-
 strum hoc seculum cœlesti beares harmonia. Hoc
 etiam D. Aegidio non inferior, quod quemadmo-
 dum ille sylvestrem Ceruā cicurauit, sic tu Etrus-
 cam poesin ab obscenis abductam amoribus purio-
 ribus moribus imbuisti. Affectus, sed pios, lacry-
 mas, non amantum, sed pœnitentum cecinisti.
 Tibi Parnassum nō montane cautes equina percus-
 se ungula, sed crebris tensionibus concussa pectora
 præbuerunt. Tibi Musæum liquorem non fontes
 Aonij, sed pijs madentes lacrymis oculi eliquarunt.

Aerberæ

Aetherea Siren tam suauiter doles, ut audiētibus
 lacrym& sapiant, dulcescat amaror. Sed nimirum
 hoc etiam tibi agnomines Angelos imitaris, qui-
 bus humanae pœnitentiae dolor gaudium adauget,
 suauissima lacrym& pocula propinant. Ac quid ego
 de te sacro vate longe verius, quam quidam olim
 de profano, effari verear. Musas cœlestibus orbi-
 bus assidentes, ethruscè loqui, & canere si quando
 voluerint, ore tuo elocuturas, tuo metro vocem
 emodalaturas? Vnde tu nisi ob Elysij cœlestis Pa-
 radisi viridarijs, Cycnus nnnquam in terris visus,
 nigranti teclus amictu deuolasti? Sylvestris igi-
 tur mea hec Musa, quæ alarum tuarum umbra-
 culis tutissimam fore se retur, queque in partem
 sui te patrocinij appellat, tuum in finum, quasi ad
 eutum benignitatis portum appellat. Tu fons,
 faue, ac vale.

Parma Kal. Septemb. ipso die D. Aegidio
 saero 1621.

PERSONAE.

Zephyrus.

D. Aegidius, Anachoreta.

Baron. Ludouicus Gallorum Rex IIII, qui & no-
to. 4. a. n.
Chr. tiori nomine Clodoueus.

199. Valdimirus Regis Armiger, iuuensis:
Theobaldus, Regiae Venationis Præfект⁹.

Fidicen.

Nuntius. (scatorū.

Anonymi aliquotè choris Pastorū, & Pi-

Aulicorum.
Chorus { Epheborum.
Pastorum.
Piscatorum.

Scena in Syluis Galliæ Narbonensis
ad fauces Rhodani.

Datum hoc Drama Parma ann. 1612
Latine, Italice Bonon. ann. 1614.

ACTVS

9

ACTVS

PRIMVS.

ZEPHYRVS.

Canticum:

1 **S**ydereos iam moritura condit
Nox oculos: iam flammeo
Cremandā rogo Auroræ
Mea reposcit flamina:
In nitidum ceu Phœnix
Vertenda diem meas optat alas.
2 Surgamus & assueta
Ferétra noctis, ac diei cunis
Afflemus ministeria.

IO ACTVS

Agendum nostris exciti susurris

4

Eoum lumen alites,

Cælestè numen pius

Salutet beros latitans

5

Vicinæ rupis antro.

Illum ego auit & deferentem domus

Regales olim gazzas,

6

Et dubio quassarum salo excepti

Amico fidus flamine.

Libyco felix ibat alto pinus;

7

Extemplo freta nubibus

Misceri, cælum vndis.

Itarum graui tumidus

8

Spumabat æstu pontus:

Igneis æther fulguribat minis.

Vndarum tonat litius

9

Illisu; cælum fulmine, flagellant

Spumosi montes æthera.

Alata

PRIMVS. II

4 10 *Alata velis volitabat alnus
Nimbiferum per áéra.*

5 11 *In vota pronus heros*

6 12 *Premebat astra precibus :
Gementis ipse crebro*

7 13 *Spiritu* virescens imbrifatos*

8 14 *Fugavi procul Austros ,
Cælumq; & æquor serenaui amico
Sequester pacis fædere .*

à virib
nō à v
xore.

9 15 *Ac meo mox incolumis afflatu
Has puppis oras attigit .*

10 *Has Galliarum oras ,*

11 *Quas larga beant copia
Et crine Ceres aureo ,*

12 *Et dite quatiens Pomona cornu ,*

13 *Et gemmifer Lyæus .*

14 *Quas Flora pictis hilarat ocellis ,*

15 *Quas blande amœnant Gratiae .*

Hos

12 ACTIVS

Hos inter lucos Attico verendum 16

Colenti Numen hospiti

Fidus adhaesi comes.

Hic mihi nidum posui, 17

Tyrhenis ubi victor

Rhodanus ingens obiunctatur undis.

Hic ubi pellucenti 18

Fontium fletu letarident valles,

Umbrosa virent nemora.

Hic musicis, me ventilante frondes, 19

Vireta canunt sibilis.

Hic tellus per me verno

Crinita flore comitur;

Hic virides blanditur

Fucata genas, colorata sinus.

Grandænus antri cultor 21

Formosa bruta speculatus ora

Amore candet Numinis.

Si

- 22 Si quando pijs petit astra votis
 Emissa meis euolant
 Alata vota pennis.
- 23 At fama hesterno murmure
 Hic prima fecit face
 Regali Taurum gymnade premendum.
- 24 Age mī madidantes
 Depluant rore pinnæ, matutino
 Stellentur imbre gramina,
- 25 Hyblæo sylua discolor nitore
 Sabæo spiret balitu,
 Panchæo gemmet fletu.
- 26 Ad oris instar regij
 Meis efflata pennis
 Innuibitam serenet aura lucem.
- 27 Hic sæta nuper tellus
 Flamcomautis, me fouente, floris
 Nouellum germen protulit.

Appara-
tus Lu-
douico
XII.
specta-
turo.

14 ACTVS

Ludouic
e XIII.

Hac primum luce meos ad tempores
Labellis hiet aureis.

Hic omnia venturi
In hospitiis obsequium
Conspirent, vnda nitens,
Tranquillus aer, vere compta tellus,
Tu modo, * Rex, adesto,
Hic omnia mitescent, ac nitescent
Clementi frontis fulgure.

Regali frondes umbris, fontes vndis,
Et rore rura gemmeo,
Venatui fauento.
Illuc me totis penitus
Impendam lubens auris.

Nemora meis animata flabris
Loquace tuum nomen
Fronde susurrent, LUDOVICE, cautes
Vocali rupe gemitent.

Allusio-
nes ad
Ludouici
e XIII.

28

29

30

31

32

33

Qui

- 34 Qui syluis tecum ludibundus erro
 Cruentis olim Martius
 Afflabo bellis comes :
- 35 Tuis parebo classicis .
 Canoros ego inspirans
 Tubarum tubos quà sol facem rotat
- 36 Vittorem te clarabo ;
 Tuiq; alarum flamine mearum
 Pennabo famam nominis .
- 37 Tuas in laudes vndique Permessios
 Ciebo Cycnos. Interim
 Has inter sylvas tuis
 Crescentes lauros nutriam triumphis .
 Ast , heu , quæ procul fœta nimbo nubes
 Minatur hic serenos
- „ Incessatura soles ? Heu mortalium
 „ Funesta semper gaudia !

Vatici-
 nia exi-
 tu iam
 compro-
 bata,

Chori

16 ACTVS

CHORI
PASTORVM.

SALTATIO

prima.

Placido tandem, aurea, nostras
Ore, Pax, reuisis oras.
Blanda Doris aureis
Cubat arenis,
Et pacato cælum, terras
Fœdcre lambit, milia pangit
Cælo, terris oscula.

Mar-

PRIMVS. 17

2 Martia passim pila virenti
Fronde Palladis mitescunt.
Sponte falcem belliger
Induit ensis.
In abiectis nidulatur
Clypeis ales : hostica fundit
Nectar Api galea.

3 Omnia tui munera, Hymen.
Nodo ugas maritali
Tu* Delphinas Aquilis.
Tibi refingunt
Scuta lyras , pectorum arcus ,
Lilia telum , faces Amoris
Æra vomunt bellica.

Reges
Gallos
Austria-
cis Hi-
spanis.



Fistane crebri fama susurri?

An regalis iubar oris

Lux recludet proximas

Hiccine pandet

Tam sereni iubar oris

Irida pacis? Ergone nostræ

Solem umbræ protegent?

Felix ades, & secunda

Sydera tuis

Hymenæis annuant.

Pronubus Amor

Inextincta foueat.

Corda face, rura pace,

ACTVS

SECUNDVS.

SCENA PRIMA.

Ludouicus, Theobaldus, Valdimirus,
Fidicen, Chorus Aulicorum in
duos Semichoros diuisus.

Lud. **S** At est : iam cornu silent
Tuis flāmescant, age corda vocibus.

Theo. Heus quisquis ades, axiū mercenibus
Ab oculis soporem ;
Venaticum præcordijs
Indutor vigorem.
En cornu susurranti
Iam vigiles venanturdo,

20 ACTVS

Per prata, perq; flores

Mel Apes, Aura odores.

10 30

Lud. Luci videntes, & horrore sacro

Vmbræ silentes, animum regalium

Sæno curarum æstu fluctuantem

Vos blandientis auræ

Sereniore spiritu lenite,

Vestro benignæ portu tranquillate.

15 35

Vald. Quam gratus hic accedas prodūt omnia.

Quidquid hic vides certat

In tui, Rex, obsequium.

(nis

Fontanæ Lymphæ, Nymphæ, quæ crystalli-

40

Vberibus tenellos alunt flosculos,

Argenteis occurrunt tibi pedibus.

Allium canora

Examinate musicis

Excipiunt concentibus.

25

Tremulis arbor foliorum pinnulis

Gestitq;, nititurq;

Ad te, si queat, obuijs

Ad-

Ludou-
is
is
cloc
ei a
p
upt
nde
X
I
hin
una
tria
isp
iu
scrib
oau

Aduolitare frondibus.

- 10 30 *Te germina curuato
Salveant lata vertice;
Offusa florum agmina
En aurae ministerio
Tuos demissa pedes*
- 15 35 *Furtius libant osculis.
Lud., Heu forma regni pellax,
„Quam blanda fronte faicias!
„O fortunatos, vrbe procul, fones
„Quos vita syluicultrix*
- 20 40 *„Obscura, sed secura;
Adestu, vocem fidibus attempera,
Sylvasq; regno potiores accine.
At vos alterno intercinetis carmine.*

25

Cantiacula.

Fidi. **T** Acita syluis rupe latenter
Fauentis nulla populi,
Sed Zephyri populea
Blanda fountis recreat aura.

Semich. { O vita nullis vitiata curis.
Aulic. } Rura colentum!

Fid. Placido labens murmure lymphae
Smaragdinis argentea
Riparum clausa pateris
Pocula prebet nescia fraudis.

Alter Sem. { Heu nimis duris lacerata dumis.

Aulic. } Purpura Regum.

Fid. Sæpe cubanti valle cubanti
Virenti Flora dexterâ

Officiosa suggestit

Stragula verno piëta colore.

g. Semich. O vita nullis vitiata curis

Rura colentum!

Fid.

4 Fid. Sæpe virenti frondis in umbra

Garritu capius Anium,

Fallacis Aulæ umbraticos

Ore sereno ridet honores.

2. Semich. Heu nimis duris lacerata dumis

Purpura Regum:

5 Fid. Aulica Veris agmina flores

Odoris mella lancibus

Veneni pura præferunt

Tacita sylvis rupe latenti.

Ch. Aul. { O vita nullis vitiata curis

Vniuersus. } Rura colentum:

Heu nimis duris lacerata dumis

Purpura Regum:

24 ACTVS

SCENA SECUND A.

15

Ludouicus, Anonymus ē Choro
Pastorum.

20 L

Ano. R Ex magne, nos accessus ingens tuus
 Ad te pellexit rumor
 Ignotum munus offerentes floris,
 Fæcundo tellus quem nunc primum finit
 Effudit, aut effusum non antidebat
 Pastorum segnis vestigarat cura.
 Recurua in morem liliorum folia
 Colore nitent aureo.
 Extrema ne sunt aurei
 Hæc facuti vestigia
 Astræa terras cum persona liquit?
 Quæ nunc se produnt, aurea cunctuntur
 Quod, te regnante, secula.

S 25

A

10

30

L

Ludouic
us III.Anonymus

Aurati flores tuæ
 15 Munificæ debentur auri dexteræ.
 Hoc sine munus * rusticum
 Viætrices inter tibi lauros serpero.
 Et Aræ Diuūm gemmeæ
 Corollas amant floreas.

Hoc Dra
ma.

20 Lud. Formosum rara munus
 Commendat mibi nouitas.
 Dignumq; nostro quod insetum clypeo
 (Sic animus est) seros per nepotes
 Regale genus noto prodat symbolo.
 25 Ut liliorum quisquis germen aureum
 Canat ue postbas memoret me, Gallicum
 Regale germen memoret.

An.e Ch.Pa. Haud vñquam nostro tale mu-
 nus muneri,

30 Inuite Rex, optauimus.

35 Addimus grato tibi grates muneri.

Lud. At vos iam moras rumpite.

Praite, & multolevum

Val-

- Vallate nemus robore. 33
 Nemus; ubi ingens late
 Sylvarum terror, & opima gregis 35
 Iam notus cede Taurus.
 An e Ch. Palt. Felix, ac fausta vobis sit vena-
 Nos quoq; vestro votis (tio.)
 Fauebitus labori.



SCENA

SCENA TERTIA.

Ludouicus, Chorus Epheborum.

Lud. **H**ic interim pernices
 vos ducite chorēas
 Cælo vaganti Triuiae
 Venatum potentis,
 Aspiceret nostris ut amica cœptis.
 Aspice vñitentis
 Inter minorare regnat ore Sydera;
 Sopita dum Tithonia
 Eo nondum referat rosaria.

Chorea.

Ch. Eph. vesta sereno, Cynthia, cælo
 Tremebunda argenteo
 Num venaris astrâ cornu?
 Num bellatrix igneo
 Aetheris ursa impetis arcu?

Nocte

28 ACTVS

Nocte silenti voce fauenti

Tibi latrant catuli.

Tibi socium venanti

Luce spumas aurea.

Rabida sydus triste catella.

Modo recuruis edita cunis

Primo ridet lumine:

Modo pleno nites ore.

Mox incurva senio

Mæsta cadenti extingueris igne.

Orbe nigranti clausa secundum.

Temet ipsa latitas

Tibi rogos, & sepulcrum

Temet ipsa tumulas.

Mox rediuiros excitas ignes.

Fida diurni luminis bæres,

Occidente Delio,

Breue syderis fraterni

Reparas dispendium

Lare micanti vultus honore.

2 6 M

3 7 L

4 8 A

5 9 D

Mode

- 2 6 Modo nitenti falce minaris ,
 Modo iugo , cymbulā ,
 Modo portu sinuaris ;
 Et mutantem simul as
 Aequore Cœli Prœtea formas .
- 3 7 Liquido quidquid aére anhelat ,
 Fæto quidquid viscere
 Terra parit , tibi paret .
 Tuis nutat nutibus
 Refluus humor aquoris alti .
- 4 8 Annue nostro dextra venatu' .
 Tibi dentes cāmuri
 Apri torua minitantis ,
 Tibi quercu pendeant
 Ardua nostræ cornua præda .
- 5 9 Dubiæ (viden ?) , lucis in umbra
 Tuis pares vultibus
 Tibi in orbem , tibi in arcum
 Agitamus chōreas .
 Annue nostro dextravenatu' .

Cursibus

30 ACTVS II

Cursibus aptas suffice vires,
Vimque odoram canibus,
Telo feras, tela feris,
Telis ictum dirige:
Robora fessis addelacertis.
Aurea sed tam proditur Eos,
Et venatrix roseo
Astra noctem fugat arcu.
Hebetata contrahit
Delia lucem, luce renata.
Lud. Cedamus hinc ad socios.

S C E N .

SCENA QVARTA.

D. Aegidius cum Cerua Cicure.

Floriparentes herbæ,
Pratorum astra flores,
Vallesq; nemorosæ,
Gemmaq; florum rosæ,
Uos mea circum dio
Alata mēns amore
Lectura vigil volitat
Diuini mel Amoris.
Impressi fida Numinis vestigia,
Sagacem deamantis
Cursumq; vimq; mentis
Beantis ad beatæ
Uos ora prædæ ducitis.
Tacita dix simulacra formæ,
Quæ ludibunda pinxit

Pennati

32 ACTVS

Pennati dextra Amoris;
 Vos quidem, vos quā licet æmulamini
 Authoris ora vestri.
 Aeternæ sed caduca,
 Inculta sed excultæ,
 Sed viua picta formæ simulachra.
 Ades tu, Numen, ades:
 Tu tibi par, tu cordis
 Tranquilla mei saties.
 En erit (ò beata!)
 En erit illa dies,
 Cum tui lumen oris
 Mi dabitur tueri?
 En erit ut ætherea
 Correpta face pectora
 In cineres labascant;
 Tum rogo de vitali
 Ad te mens ales aduoleat,
 In teq; niduletur?
 Enflosculi riparum

2140

2145

3050

355

Herbi-

*Herbigenæ volūcres,
Prae numinis amore,
Fucatas foliorum
Ad cœlum alas explicant.*

21 40 *Odoris flant suspirijs,
Fletuq; madent roscido.*

*Flammato viden' ore
Ut rosa purpurascens*

Prodit amoris ignes?

21 45 *En Ederæ virentibus
Ad astra reptant brachijs,
Expressaq; pallentibus
(Syncera amoris pignora)
Expandunt corda folijs.*

22 50 *An solus ego (heu misero !)
Tot inter faces algeo ?*

An solus ego ad terras

Deuexo feror pondere ?

Ah tui tot amores

22 55 *Mi, Deus, inde ; tui*

34 ACTVS

Mi subde tot ardore,
 Quot viret arbor folijs,
 Quot arua rident floribus,
 Quot antra lugent roribus.
 En pectis foliorum
 Multicolor labellis
 Flos tacitus diuinos
 Eloquitur honores.
 En cælo laudes accinunt
 Auesq; trucilantes,
 Apesq; bombilantes,
 Et aura leui sibilo,
 Et leni limpha murmure.
 An solus ego (heu misero !)
 Tot voces inter fileo ?
 Ah , Diuum Pater , ingere ,
 Tuis m̄ pectus ingere
 Tot laudibus fæcundum ,
 Linguasq; tot facundas
 Quot mella legunt apes ?

Quot

60 80

61 85

70 90

71

Quot gariunt volúcres,
 Quot Auræ, lymphæ murmurant.
 At tu ferina vultu,
 Humano nutrix vberē,

60 80 Quæ fragiles mī artus
 Iam seni labantes
 (O cura cæli prouida!)
 Humore fulcis lacteo,
 Ades, o Ceruapennipes.

65 85 Te pascua recenti
 Gemmata rore vocant.

Dum viridi pascēris
 Tu palabunda prato,
 Sereno mī pascentur
 70 90 Immota cælo lumina,
 Diuinis ora laudibns.

ACTVS
CHORI
PASTORVM
SALTATIO
secunda.

P *Lacidi rores matutini,*
Qui sereno lapsi cælo
Mollia florum
Versicolorum
Ocellatis folia.
Qui florentibus in conchis
Late videntis
Acquore prati gemmulatis.

vigiles

2 Vigiles hortis ab eois
Floræ rores olitores
Arida pratis
Ora rigatis
Vrnulis argenteis.
Vos Auroræ fulgurantis
Tacitus imber,
Guttulæ cæli desudantis.

3 Nitidum flauæ lac Matutæ,
Cum luteolas papillas
Tenero florum
Inserit ori:
Odorati pupuli
Coloratis cum labellis
Roseæ circum
Ubera matris nutriuntur.

stellulae noctis decidentes
Stillæ rorum. Cœli rores
Sydera : ruris
Sydera rores.
Flosculorum lacrymæ,
Cum madenti languent ore,
Diraq; lugent
Funera noctis occidentis.

Antra petentum vos ferarum
Pressa vago signa pede
Limite fido
Prodite, rores.
Certa per vestigia
Ad latenter Venatores
Ducite predam,
Placidi rores matutini.

ACTVS

ACTVS
TERTIVS.
SCENA PRIMA.

Valdimirus.

Hac fugit : forte hic lateat
Huc bene vortat. hic me canis implicat.
Annectam loris arbori.
Hic paullulum sic esto , mi Lycisce .
Nescio quid sane strepunt hæc virgulta .
Aut plagas ab hoc telo mox accipiet .
Aut cursu tensas irruet in plagas .
virgulta lœnā paullum submouebo .

Ehem: eheu me perditum !
 Proh dente quam tenaci læuæ inhæsit
 Virosa serpens ! Horret dextra tangere,
 Nec læua quic excutere .

Excussi tandem . sed repente miseros ,
 Heu , vires artus deserunt .

Quis subitus præcordijs

Tam diri saevis impetus veneni ?

Animus cum cruento sensim effluit .

Ergo ignauo hic solus letho concidam ?

Haud erit . Huc hostiles infer manus .

Quo ruis ? Huc te verte . Dextram pietas

Quæ retrahit crudelis ?

Mactabo memetipse , mīmet idem

Et victima , & sacerdos .

Huc tela , huc ignes . Quin hinc præceps aufe-

Heu gēna cursum tremebunda fallunt !

Succurre , dextra , & indue

Mucrone pectus . Quid ignaua torpes ?

Aude quod nos eripiāt obscure .

10 30

11 35

20 40

25 45

PRA-

TERTIVS. 41

Præclarum letho facinus.

10 30 Heu, languidum trementi ferrum brachio

Elabitur ! vicina

Mors neci vim subducit :

Nec morior quod morior.

At quis, heu, præceps rapit mentem furor ?

15 35 Quo feror ? Hic ne concidam,

Vt ipse me confodiam ?

Vt moriar, ne moriar ?

Ad saniora redi, infelix anime.

Sustine sis, & abstine.

20 40 Remittere forte dolor.

Felices, quibus ante Regis ora

Sæui cruento Martis in discrimine,

Decoro datum corruisse vulneret

Ergo virentis in luctuæ flore

Obscurus hic exanimor ?

O spes abruptas ! O labores irritos !

O opes ! o solatia !

O Hymenœos ! o sperata pignora !

In bellis
contra
rebelles
hereti-
cos.

Hunc

Hunc præter canem, nullus adstat misero
 Laturus opem: In humata sœvis
 Iacebo præda seris. Nec iacenti
 Suprema quæ persoluat.

Amica manus aderit.

At tu, Lycisce, vis amica quondam,
 Et fida mibi, extinctum

Ne desere, post fata fidus, herum.

Tu vigil age excubias,

Ne diro fera dente, neue adunco

Alpina rostro laniet volucris

Exanimum cadauer.

Arbor amica, si sub duro mollia

Cortice corda regis, sessum pio

Effulci truncolatus.

Vitalis tu cum membralinquet halitus,

Innectis large tumulato solijs.

Et Zephyri quotannis

Cum verna flarint animæ,

Solenni nobis parentato fronde;

HIC

50 70

5 75

6 80

6 85


TERTIVS. 43

- Hic densas inter volitabit arbores ,
50 Et nota circum mæsus
Errabit ossa spiritus .
- Tu , magna parens , viridante finie
Decidui iam corporis
Labentes artus excipe .
- 75 Iam sylue abscedunt , & amata die
Nigrescunt ora lucis .
- Heu , quis delirus mentem ludit error ?
Non sylue , nos abscedimus
Quo fata trudunt irreflexo tramite .
- 60 80 Lux alma , vale ; tuq; ò sylua virens .
Sylvestris umbra , vale .
Umbrae me vocant aliæ .
- Inuisa nox inuitos urget oculos .
Iam cuncta nobis occidere ; nondum
Nos penitus occidimus .
- 65 85 Et luce cassi viuimus .
- O Lenis Aura , quæ pinnato gradu
Hac circum loca cursitas ,

Supremas

44 ACTVS

Supremas moribundo ab ore voces
Ad pias defer aures :
Vt si quis forte degat hic mortalium 90
Mandet abiectum tumulo cadauer.
Heu miser ! Etiam ne extrema leuibus
Committo verba vent --- ?



SCE-

SCENA SECUNDA.

D. Aegidius.

Avt fallor, aut vox aures mæsta pepulit.
 Heus, quid aspecto? quis hic iacet? læue
 O quisquis es, qui somnum ducis facilis
 Ferino præda denti.
 Excutiam soporem, ac discriminem.
 Proh quam demersit altus fessum sopor!
 Totum attrito, nec attutum percipit.
 At quis hic crux? Quis hic autem pugio
 Vaginæ ereptus? O me captum! miserum
 Aeternus habet somnus: quid laboro?
 Ac forte (o procul Euri ferant omen!)
 Venator Regis è caterua inanum
 Verentis adhuc simulacra Deum,
 Haud Christum norit; animusq; Tartaro
 Demersus sempiternas luat pœnas.

In felix

46 ACTVS

*Infelix animi, & infelix corporis
En ut in primo pubis vere iacet.
,, O iuuenilis bonum forma fragile !*

Cantiuncula.

*E Xanimis ocelli,
Gemella quondam sydera,
Cui vos (beu seclusi) licuit lethali
Condere nube ?
Vernantium genarum
Rubentes olim flosculi,
Qui vos repente rapuere diro
Turbine venti ?
Vis immatura mortis
Immiti falce messuit.
,, Heu, ver caducum modicè florentis
,, Forma iuuentæ !*

Vitales

TERTIVS. 47

vitales hic spirabant
Per rosas oris Zephyri:
Visa ab extincto pietatis ore
Spirat imago.

Quà rosa fulgurauit
Pallentes regnant violæ.
Heu, ver caducum modicè florentis
Forma inuentæ.

His interim te floribus
Non bos in usus mihi nuper lectis
Inspergam, & inani fungar munere:
Nimirum sed præstiterit
Sublatum hinc cadauer humo condere.

SCENÆ

48 A C T V S T

SCENA TERTIA.

Theobaldus, D. Aegidius.

Theob. **I** Nueni tandem . Sed quid hoc spe-
ciaculi ?

Absiste, parricida .

D. Aeg. Huc tempestiuus ades .

Leuabis onus. Th. An illudis etiam ?

Da paenam hoc mucrone .

D. Aeg. Vibratam, precor, paullum libramanū:
Suspende , ac differictum .

Si parricida fuero ,

Te pio sub hoc pondere

Daturus paenam conseqvar .

Ex angue hoc onus interim

Adiutes , ac leuassis .

Theob. vix breues ira moras paenae indulget .

Age pauxillum interim

Præ-

TERTIVS. 49

15 Praeuertat iræ pietas .

Dilata sōtem pœna premet grauius .

D. Aeg. Suppone lœuam : recte sic : feramus :

Theob. At siste dum : vaginæ detur pugio :

Et canem hinc abducam .

spe- 20 D. Aeg. At, at, prob mirum! viuit adhuc? oculis

En lucem quærit languidis .

Huiuscce vita me mox parricidij

Ingesto soluet criminē .

Pergamus hinc : curabitur

25 vel rediuiuo salus ,

Vel morituro funus .



D

CHORI

30 ACTVS
CHORI
PASTORVM
SALTATIO
tertia.

MEdium terens Cynthius axem
Grauis arcu iacula tur
Tela lucis aureo.
Rutilo latrat
Syrius astro:
Nec venatus regij
Cedit labor: tantus amor,
Tanta reperiæ gloria præda.

Igneus

TERTIVS. 51

3 Igneus acres

Fert molossoſ impetus.
Crebra volant tela manu.
Ora tepenti ſparsa liquore,
Corda calenti laudis amore
Face feruent geminata.
Creber artus halitus.
Quatit anhelos.

4 Apes odorum præpetes auræ,

Zephyritidos alatae
Administræ Chloridos.

Noctis Eoā

Luce supremus

Expirantis halitus,

Hostis olli cum Matuta

Rosea cludit lumina dextrâ.

*Mobiles auræ ,
 Vernulæ tubicinæ ,
 Odorata quæ miscetis
 Pratigenarum prælia florum .
 Languida viæ lumina noctis
 Matutino quæ proflatu
 Gelidæ restinguitis ,
 Volucres Auræ ;*

*Deliam vestro flamine flammam
 Temperate . Venatrices
 Vos algenti dextera
 Rore madentes
 Tergite frontes .
 Telis alas addite .
 Catulorum , venatorum
 Cursui vefras indite pennas .*

Forlē

TERTIVS. 53

7 Forte virenti

Si locarint gramine
Fessa longo membra cursu.
Undiq; lectos ruris odores.
Spiritus ollis florifer afflet.
Vos ridentes ora circum
In amica pellite
Oscula flores.

8 Sic per amœnas æquoris oras

Curru vos argenteo
Cærula vectet hospita Tethys.
Sic per arua volitantes
Vos tenelli lusitantes
Osculentur flosculi.

A C T V S
 QVARTVS.
 SCENA PRIMA.

Chorus Piscatorum.

Mixta cantiuncula Saltatio.

Saltatio.

Tibi grates, tibi laudes,
 Cœrula Tetby.
 Tu o lapsus munere
 Opportunè regia
 Munera Delphin
 Nostra captus vincla sensit.

Cantio.

Cantio.

2 Eò à parens Memnonis
ut prodijt è specula,
Aureolosq; crines,
Luteolosq; vultus
Ad oris tui speculum
Tergit, comitq; Tethy.

Saltatio.

3 Dum rubenti munda fuso
Illinit ora,
Lætam tuis purpuram
Surripit è conchulis:
Colla corallis,
Tuis ornat ora baccis:

Cantio.

Dum spargit ab aethereis
 Rosarum nimbos hortulio,
 Tum tua matutino
 Rubescit vnda vere,
 Et pensilis in medijs
 Florescit hortus vndis.

6 T

Saltatio.

Te spumosis expuentem
 Oribus iras,
 Teq; præliantibus
 Campum ventis Martium,
 Fluctibus Euros
Canat alter equitantes.

7 T

Cantio?

Cantio.

6 *Tranquillo vultus lumine
Te blandientem canimus,
Et aureis arenæ
Puluillis acclinatam.
Sic vsq; nostro faneas
Piscatui serena.*

Saltatio.

7 *Tu terrarum vastos orbes
Sedula mater
Vlnis circum liquidis
Fusa cingis, vitreo
Ubere lactas,
Sinu geris astuoso.*

Cantio.

Cantio.

E tuo Phœbus nitidum
 Attollit caput gurgite,
 Et igneo tranquillum
 Dum globo radit aquor,
 Apparet in argenteā
 Aurata gemma conchā.

Saltatio.

Mane primo tu nascenti,
 Hespere sero
 Tu cadenti Delio,
 Cen Phœnici æthereo,
 Liquido præbes
 Toro cunas, & sepulchrum.

Cantio.

Cantio.

10 In te sol pictor aureus,
Dum lumen umbris temperat,
Serena ludens pingit
Ridentis ora cœli.
Sic usque nostro fauēas
Piscatui secunda.



SCENA

60 ACTVS
SCENA SECUNDA.

Nuntius, Anonymus è Choro
Piscatorum.

Nunt. **A**ures ne Taurum, Iuuenes,
Hausere vestrae telo strati regio?
Anon. Nil tale hauserunt; ora tamen regia
Venamur, huncce munus
Delphinum allaturi.

Nunt. Mox aderit à luco.

Ne graue sit interea ferinæ
Audire necis seriem.

Anon. Iucundum nostri didicisse Regis
Editum inter lustra illustre facinus.

Nunt. Infame fero læuum nemus Tauro
Nostis, opinor, omnes.

Anon. Utinam nostri cætus
Non nemo nosset minus.
Heu, saeuanimis nobis,

Et

QVARTVS. 61

Et crebra sui monumenta liquit.

Nunt. *Densa vallorum serie*

Et trabe multa, medium

Quæ nemus laxat, obsepiimus aream?

20 *Hic cæcas inter frondium formidines
Stabulabatur ferus.*

Imbelli truncos per nodosos vulgus

Adunc leue gradu ramos occupat.

Suspensu grauis cætu sylua nutat.

25 *Hastata denso se iuuentus premit
Theatro circumfusa. Stat Molossus
Acer in cursum pronus, lori impatiens.*

Exemplò rauco cornuum stridore,

Latratu Canum, iuuenum clamore

30 *Excitus se se ferox clustravit,
Horrendum Taurus mugiens.*

Syluæ tremiscunt, cœlum latè reboat.

Anon. *Qua Taurus forma se spectandum dedit?*

Nunt. *Frons alto rigens cornu*

35 *Toruo minatur lumine.*

Lato

62 ACTVS

Lato promissa mento palearia
Crispa cursu imma flagellant crura.

Ingens caudai modus
Primos lacescit replicatus armos.
Hirsuta vasti tota moles corporis
Composita ad terrorem.

Impete primum crebro
Obnixus explorauit truncō cornua;
Tum sparso ad pugnam puluere proluvit.
Abrumpunt vincla canes, tela grandinis
In morem densa cadunt,
Pleraque corpus inoffensum stringunt.
Aduerso multa truncō ferri morfus
Figunt tenaces. Anon. Nota
Rame scit arbor stirpe.

Nunt. Spumosus ore Taurus
Iraram œstro percitus
Mugitu tonat, face frontis gemina
Fulgorat, cornu fulminat,
Grandinat illu, largo pluit imbre

40 60

43 65 A
Nu

50 70

53 75

Suis

Sui sudoris, alieni sanguinis.

Insana cœu tempestas fœda clade

Feras, virosq; sternit.

Ter spatia ampla cursu circumactus

40 **60** *Telorum ictus, canum ictus luscat:*

Cum se se quâ diducta patent cornua

Spartanus audax toto immisit corpore.

Incubuit ceruici, dente adacto

Impressit morsus, & inhaesit tenax.

45 **65** Anon. *O audax canis facinus!*

Nunt. Immane quantum efferatus vulnera

Corniger furit: se sub auras erigit,

Vanos effundit ictus.

Ne quicquam toris grauiter harentis.

50 **70** *Molitur pondus excussisse canis.*

Scrutanti nulli ut patuerunt exitus,

En saltu præcps extra vallos arduo

Erupit instar fulminis,

Cum rauco densas inter nubes murmure

55 **75** *Lucretum diu, violento turbine*

Elisum

64 ACTVS

Elium tandem emicat,
 Montesq; horrendo concutit fragore.
 Aut pleno qualis ore tumens Rhodanus
 Riparum arctos indignatus obices
 Euoluitur: taurina minax fronte
 In mare sylvas, & armenta proruit,
 Unda triumphum mugiente canens.
 Anon. Quid aetum cane? num torosa Tauri
 Disclusit colla morsu?

Nunt. Spartanus alte excussus Tauri saltu
 Sub auras ijt, summa
 Flagella vincens arborum.
 Tum stirpes per nodosos,
 Et dumos per horrentes
 Lacer ad terras graui
 Afflictus casu occubuit.

Anon. Praeclaro functus funere.

Nunt. Inter hæc Taurus densas
 Sylvarum moras, & implexos calles
 Excessit, altas faucium crepidines

Effusa

80 100

80 105

90 110

An

95 115

Effusa petens fuga, quâ vicinus
Vndarum larga mari
Tributa soluit Rhodanus.
Bifida fugitantis

80 100 Signat crux vestigia.

Alipede venatrix
Cursu premebat pubes,
Densoq; bastarum iactus
Post Taurum fixa sylvestrebat humus.

85 105 In crura, pede implicito,

Procumbit humibos;
Infixis ripæ cornibus,
Calcibus auras verberat.

Donec auulfum ripæ fragmen trahens

90 110 Spumante præceps vado

Deuoluitur in flumen;
Securus dum telorum
Torrentes tranat vndas.

Anon (In fluvio videri forte fluvio

95 115 similis tauriformi)

66 ACTVS

Naut. Par viuidum, Molosſi,
 Per vndas venaturi,
 Pari ſe in flumen saltu deturbarunt.
 Crurum remigio adnatant,
 Et geminas cornipedis
 Hinc, atque hinc aures acri
 Ter quater morſu vellunt.
 Immoti toto pondere dependent,
 Et anchoræ ceu griminæ fugacis
 Carinæ figunt curſum.

Taurini proram oris ripæ obuertunt,
 Quâ longa pendent aulici corona.
 Hic Rex cornigerum Latonæ caput,
 Et truncos artus Rhodano deuouit.

Tum valido conniſus
 Lacerto hostile ſtridulum contorsit.

Anon. Regale telum, Auræ,
 Incertæ ſorti eripite.

Nunt. in pectus alte ſe demersit ferrum:
 Mixtas q; ſuo moriens cruore

120 140

121 145

122

123

Ebita

QVARTVS. 67

Ebbit vndas Taurus :
Præcissum caput sæcum
Adbuc in morte minitans
Canora gestat iuuenum caterua.

I 20 140 Anon. O dignam sceptro dexteram !
Seu bellis hostes , seu bellorum pari
Penatu feras fundit .

Ludovi-
co XII,

Age , occurramus ocyus .

Nunt. Ne procul hinc abite : iam iż aderit .

I 25 145 Anon. Haud procul hinc vagantis
Oppriemur gradu .



68 ACTVS

SCENA TERTIA.

D. Aegidius cum Cerua Cicure.

20
Et cor, & oratua laude personent,
Supreme sator syderum.

Tu iuuenilem animum

Cæcis errorum conditum tenébris

Iam, iamq; exangues deserentem artus,

Et Orci aternos incuntēm carceres,

Docente me, medente me,

Et veræ luci, & sano reddis corpori.

Tui iucunda sp̄iritus

Olli iam morituro afflauit aura,

Ut salutares animo

Exposceret me latices.

Cum pium rores attigere caput,

Fætiq; sunt repente

Et salutares animo,

Et non sperata corpori medela.

25

30

35

Sereno

Sereno ut oris lumine,
 Vi placide rorantibus ocellis,
 Cælumq; contuentibus
 20 Et latice asperginem,
 Et sacri verba carminis accepit;
 Felix, o felix nimium,
 Si tum lustratum, ac recentem animum
 Efflasset cælo meos in amplexus.
 25 Viat (sic quando tibi, Deus, placitum)
 Sed tibi gratus, à quo vitam hausit,
 Non immemor & mei, per quem hausit.
 At perge, o Cerua, nos reddamus antro.



70 ACTVS
CHORI
PASTORVM
SALTATIO
Quarta.

Sat decori iam sudoris,
Sat, o pubes regia,
Strenua finxit prælia virius.
Molliter excipiat
Blanda fessos quies artus.

Lucis

QVARTVS. 71

2 *Lucis umbræ iam cadentis
Giganteæ senio,
Dum morituro funera Phæbo
Parentantes apparant,
Sternunt pullâ rura veste.*

3 *Fugitiuæ lucis hostes
Vos à Sole transfugas
In sua tutos castra receptos
Gelidis tentorijs
Umbræ tegent hospitales.*

4 *Longo vobis en projectu
Se se ferunt obuiæ,
Aruaq; nullo lumine pingue.
Simulacra abiçient
Memorimq; collinimq;*

72 ACTVS

Ad riparum lentoſ umbras
Spatiatur riuius -
Plurima ſeræ ſuccubat umbræ
Strata vallis montium .
Hic & umbræ vos morantur.

Hic per prata trepidantum
Ad lympharum murmura
Teneras inter floſculis herbas
Agitat chœras
Vobis umbræ in conopœo .

Huc adeſto , nee timeto ,
O caterua Regia ,
Tibi grauis ne fit umbra :
Nihil umbræ ponderis .

ACTVS

A C T V S
 QVINTVS.
 SCENA PRIMA.

*Chori Aulicorum, &
 Pastorum.*

Cantiuncula.

Ch.Aul. **D**uris exercita bellis,
 spectataq; vulnere Regum, Ludoui-
co XIII.
vistori.
 Taurino Regia lusit
 sanguine tincta manus.

T^e

74 ACTVS

Teregia vulnera, Taure,
Famà super aetherat tollent:
Meliorem vulnera vitam,
Quam rapuere, ferent.

Aurati lilia flores
Cessere in spicula Martis,
Tauriq; aspersa cruore
Ceu rubuere rose.

Ch. Past. Aurea perpetuo florescite lilia vere,
Lataq; sint vestris Gallica regna comis.

Ch. Aul. E vestris fama corollis,
Aurati, lilia, flores,
Regalibus addita lauris
Florea serta paret.

Præclari nuntia facti
Linguas longinqua sonantes.
Alas, talaria vestris
Induat è folijs.

Ch. Past. Aurea perpetuo florescite lilia vere,
Lataq; sint vestris Gallica regna comis.

Ch.

6 Ch. Aul. Populi vos aura fauentis

Tranquillo recreet aeo.

Largo vos flumine laudum

Fama benigna rigat.

7 Extremas orbis ad oras

Vestros expandite honores.

Vestros affundite odores

Quo rota solis adit.

Ch. Past. Aurea perpetuo florescite lilia vere,

Letaq; sint vestris Gallica regna comis.

8 Ch. Aul. Biugo de colle, sorores;

Aurati floris ad umbram

Celeres contendite: Phæbi

Carpite nectar apes.

9 Fæcundo caudice flores

Inscriptos nomina Regum,

Fulgenti lilia caule-

Aurea sceptra ferant.

76 ACTVS

Gemmatis cincta coronis

In vestris regia pinnis

Maieſtas nescia finis

Collocet imperia.

Ch. Past. Aurea perpetuo florescite lilia vere,
Lataq; ſint veftris Gallica regna comis.

Ch. Aul. Digna, ſed ampla parum vobis confi-
nia, libent

Aequoris vnda pedes, etheris aſtra caput.

Ch. Past. Aurea perpetuo florescite lilia vere,
Lataq; ſint veftris Gallica regna comis.



SCENA

SCENA SECUNDA.

Ludouicus, Valdimirus, Theobaldus.

Vald. **S**ic mentis salus fuit vnda, & corpori.

Lud. **V**trumq; grator: nec grauate fero
Quod pium Christo manciparis animum.
Pars magna, & fida famulatus mei
Christi vereinur numen.

Stat mihi & olim sacro spargi flumine.

At fare; num solenne est

Ut nienti salus fiat vnda, & corporis?

Vald. Sacri minister laticis negabat.

Lud. Quid ergo virunq; praeslitero rores
Tuis insperst erintibus?

Vald. Non & sit atum super a clementia
Verebatur in me munus:

At qui me aspersit, laceratum ferro

Hosili dum mi retax;

Ecce, rogat, scelus imminentis



78 ACTVS

Me pene letho obiecerit?

Serpentis ictu lœuam narro sauciam.

Theob. (Hinc tuareum necis.)

Quem rebar tute ignarus expiasti?

Vald. Res salua, exclamat. nihil mirum fontes
si vulneri profuerunt.

Hæc loca infame teneri

In festa genus anguum,

Pestifero qui dente quos petiverint,

Subdurtis tacite repente viribus,

Lethæo frangunt somno,

Donec lethæo lethum somno iungant.

Vna' st medrla, ac facilis,

Si tempestiuia saucium,

Vulnus in primis ipsum lymphæ tinxerit.

Hæc fatuo, me vicino fonti admouit,

Et ora, pedius ter, quater humectans,

Cruentam lœuam gelidis.

Mersauit vndis: ilicet

Veneni effluxit, & extintus ardor.

Lud.

Lud. Quā mira narras! A quo tamen hauserat,
Qui ecce medelam docuit?

Vald. Narrabat ille plurima cīcūris

40 Exempla feræ (feræ nomen situit)
Incautam si dolosus
Morsu cerastes icerit,
Cursu quæsici vōlucrī
Veneno fontes eluunt.

45 Lud. E quid, ut feræ, suum nomen situit?

Vald. Aegidium canebat.

Lud. Iam Galicas per oras tanti nominis
Diffusa pridem aura
Et meas grato mulxit aures murmure.

50 Vald. Id mihi nomen numen,
Dum vita comes, erit.

Verebor umbram: cernuus vestigia
Impressa sacro venerabor pede.

Elabar ante vitæ,

55 Ingrato quam colendi mihi vultus
E pectore labantur.

80 ACTVS

SCENA TERTIA.

Ludouicus, Theobaldus, Anonymi duo 15
 e Choro Piscatorum, Anonymus
 e Choro Pastorum,
 Valdimirus.

Ludouicu- Theob. **E** N illuc est qui medius. 20
lo XIII. An.e Ch.Pis. **R** Rex magne, Diuūm tibi mis-
 sum munere

*Hesterna nocte, squammei
 Accipe regem gregis.*

Hoc Dra-
 matice: *Ingentia in * exiguo
 Accipe vota munere.*

Lud. *Regale plane munus
 Cultu dignandum regio,
 Si Diuūm missum munere.
 Qui vestra tamen incidit in yetia?*

Hesterna

An.e Ch.Pis. Hesterna noctis aderant silentia,
Et vitreo nitebat æquor speculo.

Nocturna cœli facies
Descenderat in vndas.

duo 15 Par cœlo mare , Cœlum
Par Maricollucebant .

Aequoreas ætherei
Per vndas inextincti nabant ignes .

Aethereos æquorei
Per ignes ibant in absumpti pisces
Marinæ Salamandræ .

Curuato se vehebat Luna lembo
Argentea piscatrix .

Cum procul lauo ab litore

25 TYRRHENIA Delphin dorso radens M.A-

Placido nostra lapsu (KIA,)
Et ora , & oras adiit .

Ibat per astra mari pieta , similis
(Quem cœlo fama locat)

30 Syderei Delphinos .

Allusio
ad no-
mē Re-
gina ma-
tris , &
ad Ludo-
v'cum
XIIII.
tunc Gal-
liarū Del-
phinū.

Vndanti dorso fluetuabat vndis :

Recurvus ponte simulabat pontem ,

Lunatus arcum , fugā rapītus telum .

Lunari pīctus lumine

Verficolores arcus

Squammosa mari sinnabat Iris .

Dum ludit hæc spectacula ,

No longæ circum taciti corona

Obducti , multa fuscina ,

Ac denso vini uorum nexu premimus .

Ut sensit ille dolos ,

Se sponte nostras in arenas expulit ,

Cum mari ritam linquens .

* Tum visa caput olli flamma lambere ,

Et circum labi tempora ,

* Osonis orbes orbibus agglomerans .

Lud. Agnoso cœlo polius ,

Quam lēp̄sa Mari munera .

Flumm̄arum orbes circumacti tempora

M̄ regna non obscuro pandunt lumine .

Stet

Dom
Regni

ante 8
annos à

Ludouic
co XIIII

obiuuen
di.

Stet tanti monumentum felix omnis
 Impressus nostri clypeo
 Primigenæ Delphinus.

Secundent omen numina :

- 3 55 Ut quem natorum principem
 Nostra de cunq; stirpe partus prompserit ;
 Aeternis mea regna sceptris temperet.
 Amœnus Galliarum hinc ocellus
 Opima nomen fibi ducat regio.

Delphi-
natus-

- 4 60 Nepotibus hac rata sunt nostris
 Immota legis pondere .

An.e Ch.Pis. Existat olim tuo, Rex, e germine

Tuo DELPHINVS nomine ,

Qui nunc
Ludovi-
cus XIII

- 4 65 Pacemq; naufragantem
 Tuto componat portu ,
 Sceptro serenet placido .

Altum Regina

(Præsaga mens futuri

- 5 70 Ignota vel inuitum cogit pandere)

F 2 Ali-

84 ACTVS

Alituum Regina

Allusio
ad nup-
tias cum
Austria--
ca Hispa-
na &c.

Iberis ad hæc regna vecta ab oris
Trisulca ponens fulmina,
Olli iugali sese iungat fædere.
Felici Reges procreentur germine,
Qui famam astris, regna ponto terminent.
Enlæuūm fulgurauit, læuūm tonuit:
Annunt votis sydera.

An. alter è Ch. P. S. Attonitus ne mōstro, Rex,
Longæuus hic antiqua (hæreto. 8) 100
De stirpe Mantūs prodijt.
Quoscunq; stirps hæc dederit
Mens agitat vaticina.

Vald. En tibi, Rex, auratos terra flores,
Regales æquor pisces 8 105
Tributa submisere,
Ut mari, terris imperes.

Lud. Cum syluis venaturum
Lux me reponet crastina,
Larga regalīs auri dona vestris

Aura-

*Auratis florum folijs,
Squammasq; piscis aureæ.
Mea reponet dextera.
Praete : nobis abitum iam innuit
95 Vicina vesperugo.*

An.e Ch.Pis. *Vicina prosequemur:
Ad vsq; Rex, te littora.*

An.e Ch.Past. *Etnos, ni tibi tamen graue fuas,
Theob. Virgulta sonant læua.*

100 *Num datur nostris noua præda telis?*
Lud. *Rimare caute, tibi ne labatur.*
Theob. *Fallor? An Cerua? Cerua? s.*
Lud. *Post Tauri cædem vile nimis Cerua.
Regali signum geso.*

105 *Ice tu, Valdimire, quem virosus.
Serpentis ictus ictibus ferarum
Abduxit. Theob. Latitantem
Hac viden? Vald. Sile : video.
Acuta telum singulare cuspidis*

910 *Hoc pharetra seduco.*

86 A C T V S

En age , telum singulare , tanti
Tuere laudes nominis .

I Etu per ima certo ferrum viscera
Adactum infer penitus .

Prosterne letho feram : vulnus ingere , 115
Venturis quod loquatur fama seculis .

Ab arcu iam excutere .

Heus , ecquid hoc ? repente
Torpent ad iEclum vires .

Se gelidus per ossa miscet horror . 120
Extrema forte lues hystet aliqua
Expulsi nondum penitus veneni .

Lud. Ignane , an adbuc hæres ?

Ice sis . Vald . Vnum dolet ,
Quod leui fungar vulnera .

Vrgent me iussa , Rex , & vires addunt .
Entclum arcus expulit .

Haud casso , reor , iAu . sed fugaci
Elapsa cursu sera' st .

Lud. Accurrite : virgultis vos immittite .

Heus ,

Val

The

Val

135

Val

The

Val

140

Val

The

Val

125 145

150

Vald. Heus, istinc iam effare, Theobalde,
Fecere tela vulnus?

Theob. Quam rere longe saeuus.

Vald. Io me fortunatum!

115 135 Theob. Attu quid id libelli,
Et globulos tuere? sine iaceant.

Vald. O astra meis iEtibus fauentia!

Theob. Ictus vtrumq; manu forte excusserit.

Vald. Nec dies me dimittet hinc inglorium.

120 140 Theob. Attolle mecum tandem sis, aut abi.
Vald. Quam ingens sera! ni me fallunt oculi.

Theob. Sic belle: iam sublimem effaramus.

Vald. Me miserum! videtur viri species.
Vir est: heu parricidium!

125 145 Aegidij ne vestis nota? Haud quaquam.

Libelli, & globulorum laeo ab latere

Pium pependit onus: neutrum gerit.

Accedam, & cucullo

Obrectum caput, & in pectus prona

130 150 Attollam ora, vt meum norim scelus.

88 ACTVS

Heu me! Lud. Fulcite collabentem vlnis.
En vt vterq; pari iacet vltu
Exanguis, aut exanimis dolore
Htc vulneris accepti,
Hic vulneris inflicti.
Sed vita prior redditur
Qui concidit posterior.



SCENA

SCENA QVARTA.

Valdimirus , Ludouicus , D. Aegidius ,
 Theobaldus , Anonymi e Choris
 Pastorum , & Pi-
 scatorum .

Vald. **E**t tamen viuo , & spiro ?
Ergo huic necem , à quo vitæ mu-
 Acceperam , rependo ? (nus
 Heu duramerces ! heu relatæ nimium
 Crudeli vice gratiæ !
 Tu pius in me nuper ,
 Ego in te parricida :
 Vitali caput mihi rore sparseras ,
 Cruore sacrum tibi fædo pectus :
 Tu mî medela , tibi vulnus ego .
 Crux ore sed pro sacro

Has

90 ACTVS

*Has accipe', quas gemino denuo
Effusa fonte lacrymas.*

Lud. O versas, ac peruersas rerum vices!

Vald. Ab dextera crudelis:

Ab oculi crudeles:

Tu vulnus inflixisti:

Vos vulnus inspectatis.

Abite, abite in lacrymas,

O oculi crudeles,

Ne vulnus inspectetis.

O vultus, o verendæ mihi frontis,

Lethali licet tumulata nube,

Serena tamen lumina:

Id mea vobis inuident,

Quod scui vobis eripit

Speculum Mors facinoris:

Heu labra morte iam liuentis oris!

Si nuper hinc missonuit

Vox animo vitalis,

Aeterno cur vos condidi silentio?

Hea

QVINTVS. 91

Heu cari vulnus pectoris!

Heu pectus meo cruentatum scelere?

Amoris an hac prima

35 Crudele telum accipis?

Crudele telum, quin ferina resilis

Authoris in praecordia?

Te in pectus hoc regerito,

Hic apta sede haerebis.

20 Sed quo te sponte renuis,

Istinc auulsum dextera

In meum pectus ingeret.

Hic scelus expiabis:

Hic meo saturabere cruore?

25 Lud. Absiste telum vellere:

Dolore torques miserum.

Enspirat adhuc, en attollit oculos.

D. Aeg. Heu, quis ad astra iam pandentem alas

In ima trahit animum praecordia?

30 Quid latus haeres? opportuna cælum

En tibi fata referant;

Dant

92 ACTVS

Dant tibi tela claves :

Dant tibi tela pennas ,

Elabere , mi anime .

Quid hic moraris , vbi cuncta dolor ?

Aspice quam sereno .

Te vocat ore cœlum .

Quid hic moraris ? Ibi fessum quies :

Aeternate fouebit s .

Elabere , mi anime .

Aeterno Diuum genitor ,

Hanc victimam , vitali .

Quam tibi macto vulnere ,

In tuas vlnas excipe .

Cadauer sumus tumulet :

Compone cœlo mentem .

In numinis amplexus .

Elabere , mi anime .

Qualis hastili saucius .

Anhela Ceruus latera ,

Per nemorum latébras .

75

80

Val

65 , , 1

Q

E

E

H

O

F

D

Per

Per vallium recessus,
 Per saxa, per inhospitum
 Abruptas cautes montium
 75 Errabo miser aviis
 Hoc vsq; gerens fixa telo pectora,
 Dum tui, Deus, oris
 Perenni sitientem fonte proluas.
 At vos quicunq;, o iuuenes,
 80 Adeſtis pio taciti dolore,
 Dicite, amabo, iuuenes,
 Eccius vestrum dextera
 Hac mihi pectus terebravit cuſpide?
 Vald. Nam quid me fontem pudeat fateri?
 85 „ Pars innocentiae eſt fateri noxam.
 Quis ſcit an parricidam pæna manum
 Exposcat? lubens præbeo.
 En illa, Pater, tuicida dextera.
 Hæc animi innocentis
 90 Facta miniftra nocens.
 Dum petit ille feram,

94 A C T V S

Impetit ista virum:

Abscinde ferro noxiām.

D. Aeg. *Ab, fili, agnosco, non speratum licet,*

Nec tua dignum dexterā,

Me dignum tamen munus.

Heu me! sed præbe dexteram.

O cara mibi, vel inficto vulnere,

Eburna manus, accipe

Hæc oscula pro vulnere.

Si dulcis es dum saucias,

Quid fueris, si mulceas?

Ten' ego incidam, cuius factum munere

Ut pene cælo admouear?

Ut quidquid hoc est patiar

In Numinis amore?

Accipe rursus oscula.

Feram petisti? haud te fefellit error.

En ego asperitus, illuuius,

Colore decolore,

Villosa fronte, ac hospida

9115

V

1120

Lu

D.

1125

Lu

D.

1130

vix

Vix homo feris , fera viris dego .

Hoc uno errasti , quod impactum vulnus

Parum descendit alte , nec emisit

Angusta nimis animum cicatrix .

115 Vald. Siccine fontem multas ?

Siccine ferro dignæ figis oscula ?

Haud æqua censes (tua dictum venia .)

Huic equus ego Iudex

120 Ferro amputabo meritam .

Lud. Me quoq; tanti magna pars facinoris

Haud sinit esse innocuum

Inuitum penè qui coegi ad iustum .

D. Aeg. Ignorum scelus venia ,

125 Non pæna dignum est : illæsi viuite .

Lud. Viuemus pæna hac digni ,

Quod vita indigni viuimus .

D. Aeg. Appelle , fili , meo labra pectoris ;

Tenellum adhuc pietatis germen

130 Cruore te rigabo .

Te pectoris hoc vberes ,

Cruore

96 ACTVS

Cruore te laetabo.

Vald. Heu, singularis, Pelicane, amoris!

D. Aeg. Compesce, amabo, lacrymas.

Iniqua doles, vulnus

Si meum forte doles.

Nescis, ab fili, nescis

Diuino quam iucundum

Sit in amore vulnus.

Tu cæcum nobis oculasti pectus.

Hoc vulnus cordis oculus:

Hinc sydera suspiciet,

Hinc egeret suspiria,

Hinc efficeret tepentem

Pro lacrymis cruento.

Non telum hoc, sed amor est

Immissus mihi ab alto:

Aspicis et pennigerum.

Prodit Amoris alas?

Lud. Vos Ceruam vestigate

(Si modo Cerua fuit) tanti meritas

V.
V.
D.

V.
D.

1165

231

1170 Lu

ORI

Da-

Daturam pœnas sceleris.

Vald. Et decet. Theob. Cerua fuit

Vald. Inuentam iam iam lacero.

155 D. Aeg. Ne, queso, nate, ne nutricem nostram
Cœlitus datam senij.

Hæc tui me discriminis

Medelam prima edocuit.

Vald. An istæc est securum?

160 Quæ sponte gradum effert?

D. Aeg. Ista et auerte, quisquis, ades, carcer,
En tibi, Cerua, candidum iubenti
Cruore lac profundò.

Per te viuebam pene per te morior.

165 Venator telis oculus te destinat:

Me telo mantis vulnerat.

Quid dexteram mihi lambis? caperata

Quia fronde me ineris?

An mei dolor te doloris attigit?

170 Lud. Nō verba vulnus, sed medelam postulat.

Hinc illum nos sublimem serie in regiam.

98 ACTVS

D. Aeg. Testor eternum Numen,
Arcano cuius nutui

Trepid astrorum ancillantur Chori:

Adducine me, Rex, in urbem iussoris,
Si cura meæ tibi sedit vita.

Exanimem hinc auferes:

Incolumen hic desereres.

Lud. Syluicola vos Iuuenes

Seduli adeste saucio.

An.e Ch.Palt. Aderimus. An.e Ch.Pis. Nec
segnes nos aberimus.

Lud. Me statim Urbs acceperit;

Mittetur, mox pæonia

Qui vulnus arte foveat.

Vald. Abscede Theobalde: sine suggeram
Vicarias huic vlnas.

Nō hinc auellar, Rex. Lud. ut lubet, mane.

Vald. Ut dextera, qua vulnus
Intulit, opem ferat.

Heu dulce amarum pondus!

19


Hoc

QVINTVS. 99

Hoc vulnere si, Pater, expiraris,
Animus meo lectus ore habebit
Hoc pectore sepulchrum,
His corpus vlnis feretrum.

17 Lud. Valeto. D. Aeg. Mox valebo.
Haud vulnus hoc lethiferum.
Sic pandunt astra conscio.
,, Quidquid ab alto Deus
,, Ingerit graue, leuat.

FINIS.



G A D I.

DIMENSIONES,

Leges, ac rationes

Metrorum huius Dramatis.

ACTVS PRIMVS.

Sydereos iam moritura, &c.




ST Canticum tricolon enneastrophon, id est nonem versus trium generum singulis strophis complectens. Primus quisque versus est trimeter catalecticus, secundus dimeter acatalecticus, tertius dimeter catalecticus. Quartus, & nonus similes sunt secundo: quintus, & septimus si-

miles

miles sunt tertio : sextus, & octauus similes sunt primo. Recipiunt ij versus in quilibet sedem vnum e pedibus tantum disyllabis. Sed in primis habenda est ratio accurata cæfurarum, ut concinnè tinniat.

Ita verò in singulis strophis implexi sunt, ut singuli trium generum versus ter sedem mutent, & nouam ter occupent. Sunt quasi ternæ strophæ minores singulis in strophis maioribus. Accipe hoc schema, in quo literæ abecedariæ similes, alternate, ac commutatae versuum similium commuta-
tiones, atque implexiones significant.



In fine cantici est epode , quæ , præter dicta tria versuum genera , etiam quartum , hoc est tremetrum Acatalecticum admittit , nec eadem lege cum præcedentibus strophis tenetur . Ex prædictis patebit scrutanti .

CHORI

CHORI PASTORVM

Saltatio Prima.

Placido tandem aurea nostras, &c.

SAltatio est tetracolos heptastrophos.
Primus quisque versus est dimeter acatalecticus, qui in primam, & tertiam sedem trisyllabum pedem admittit ita, ut si pes unico verbo constet, secunda, hoc est media syllaba necessario semper sit breuis. In secundam, & quarram sedem una e disyllabis pedibus &c. Secundus quisque versus est item dimeter acatalecticus, sed dissyllabis eantum constans pedibus. Tertius est dimeter catalecticus disyllabis constans. Quartus monometer acatalecticus, priorem trisyllabum, posteriorem

G 4 dis-

disyllabum habens pedes. Quintus versus similis est secundo, sextus primo, septimus tertio.

Nota igitur in primis hos versus nullas admittere cæfuræ, ut sibi propriam tueantur harmoniam.

Schema.

A	— — — — —	— — — — —
B	— — — — —	— — — — —
C	— — — — —	— — — — —
D	— — — — —	— — — — —
B	— — — — —	— — — — —
A	— — — — —	— — — — —
C	— — — — —	— — — — —

Habet hæc Saltatio in fine Epoden diuersa dispositione versuum à præcedentibus strophis.

ACTVS SECUNDVS.**Scena Prima.**

Sat est : iam cornu sileat &c.

Scenæ omnes huius dramatis, in quibus personæ diverbiantur, constant trimestris, & dimetris catalecticis, & a catalecticis inter se promiscuis, qui quilibet in sedem vnum e dissyllabis tantum pedibus admittunt, seruatis accurate cæsoris, ut dictum in cantico actus primi. Vhus est dimeter brachycatalecticus actu tertio scena prima, isq; extremus; sic est ad artem: vide ibi; & act. 4 sce. 2. vers. 106. Aliquando litera M, & aliqua monosyllaba cadentia in vocalem, sequente ditione, cuius initium sit à vocali, non eliduntur.

duntur, veterum non raro exemplo, ad maiorem carminis concinnitatem. Haec generatim de omnibus scenis, earumque versibus.

A^ctus secundi in scena prima Cantiuncula.

Tacita sylvis rupe latenter &c.

Est dicos tetra strophos. Stropharū versus omnes dimetri acatale&ici. Primus, & quartus in primam, & tertiam sedem trisyllabum admittunt sine cæsuri, ut dictum est saltatione prima actus primi. secundus, & tertius versus trisyllabos tantum pedes habent cum cæsuris, ut dictum in cantico actus primi. Habet hec cantiuncula epodulas intercalares. Prior earum

earū versus est trimeter catalepticus constans e solis dissyllabis pedibus cum cæsuris, &c. Posterior versus monometer est in priori sede constans trifyllabo sine cæsuris, ut dictum est de quarto quoque verso siropharum saltationis primæ actus primi.

In Actus secundi Scena tertia Chorea

Vecta sereno Cynthia cœlo, &c.

Es tricolos pétastrophos. Versus sunt dimetri omnes. Primus, & quintus acataleptici primo, & tertio loco trifyllabum habent, tertius item acatalepticus solis dissyllabis: secundus, & quartus cataleptici item solis dissyllabis constant.

Om-

Omnes sine cæsuris. Vide quæ dicta ad a-
etas primi saltationem primam.

A ——————

B ——————

C ——————

B ——————

A ——————

CHORI PASTORVM

Saltatio secunda.

Placidi rores matutini, &c.

Est tetracolos octostrophos. Primus quisq; versus dimeter acatalecticus trisyllabum admittens primam in sedem, in reliquas solos dissyllabos pedes. Secundus item dimeter acatalecticus solis constans dissyllabis. Tertius, & quartus Monometri acatalecticici priore sede tri-

syl-

syllabum, posteriore disyllabum habentes. Quintus dimeter catalecticus solis disyllabis. Sextus similis secundo, septimus tertio, & quarto, octauus primo, omnes sine cæsuris.

A _____
 B _____
 C _____
 C _____ A T U Y T O A
 D _____
 B _____
 C _____
 A _____

In Actus Tertij Scena secunda Cantiuncula.

Exanimes ocelli, &c.

Tetracolos tetraBrophos. Primus quisque versus dimeter catalecticus

cus , secundus dimeter acatalecticus; tertius trimeter catalecticus , omnes disyllabis pedibus constantes cum suis cæsulis . Quartus quisque inonometer acatalecticus priorem trisyllabum , posteriore dissyllabū pedes admittens , sine cæsulis.

ACTVS TERTII

Chori Pastorum

Saltatio Tertia .

Medium terens Cynthius axem, &c.

Tetracolos octostrophos . Habet strophas , & antistrophas ijsdem versuum generibus constantes , pari etiā versuum numero, sed non pari ordine, ut mox patebit. Primus quisque stropharum


ver-

versus dimeter acatalecticus primo , & tertio loco trisyllabum postulat, dissyllabum secundo , & quarto . Secundus versus dimiter acatalecticus ex solis disyllabis . Tertius dimeter catalecticus e dissyllabis . Quartus monometer acatalecticus priori sede trisyllabum , posteriore dissyllabum habens . omnes sine cæsura . Pars altera strophes retrogradit , & habet quintum versum similē quarto , sextum tertio , septimum secundo , octauum primo . En schema stropharum .

A	—————
B	— · — · — · — · —
C	— · — · —
D	— · — · —
D	— · — · —
C	— · — · —
B	— · — · — · —
A	— · — · — · — · —

Antistropharū versus primus, & octauis similes sunt quarto, & quinto stropharum; secundus, & septimus tertio, & sexto; tertius, & sextus secundo & septimo; quartus, & quintus primo, & octavo. Antistrophæ diuidant strophas, & diuisas partes ita replicant, ac committunt, ut medijs stropharum versus fiant extremi antistropharum, & extremi eārūdem stropharum medijs antistropharū.

Antistropharum schema.



Prīmæ

Prima strophæ initium: medium terens
Cynthius axem, &c.

Prima antistrophæ igneus acres, &c.

Sic deinde procedut alternis tres stro-
phæ, ac tres antistrophæ.

Habet hæc saltatio in fine Epoden nō
eodem quidem ordine, ac numero ver-
suum cum strophis, & antistrophis, ijsde
tamen versuum generibus constantem,
dimetris catalecticis, & acatalecticis
cisis et syllabis, & disyllabis
pedibus, sine cæfuris, ut
dictum est superius.


Facile tate a-
gnosces,
ac
metiere ex pæ-
dictis.

ACTVS QVARTVS.
Scena prima.

Saltatio.

Tibi grates, tibi laudes, &c.

Tri colos ex a strophos. Primus quis-
que versus dimerter acatalecticus e
di syllabis. Secundus monometer acata-
lecticus pri ore pede trisyllabo. Tertius
dimerter catale~~tic~~icus ex di syllabis. Om-
nes sine cæsuris. Quartus similis tertio,
quintus secundo, sextus primo.




Can-

Cantio.

Eo a parens Memnonis, &c.

Dicilos exastrophos. Dimetri omnes. Primus, secundus, & quintus acatalecticci, tertius, quartus, & sextus catalecticci. Omnes è dissyllabis tantum, & cum cæsuris.



CHORI PASTORVM

Saltatio quarta.

Sat decori iam sudoris, &c.

Tri colos pentastrophos. Dimetri omnes. Primus Acatalecticus è solis disyllabis. Secundus catalecticus. Tertius acatalecticus prima, & tertia sed et trisyllabum &c. Quartus similis secundo, quintus primo: omnes sine cæsuris.

A ——————

B -----

C -----

B -----

A -----

Epode in fine dimetris constat acatalecticis, & catalepticis alternis, è solis disyllabis pedibus, ac sine cæsuris.

ACTVS

M *ACTVS QVINTI*
Scena Prima.

Cantiuncula.

Duris exercita bellis, &c.

Quidam hos versus vocant anapæsticos dímetros catalécticos. Nos faciliorē, ac notiore via progrediemur. Est igitur ea Ode dícolos tetraástrophos. Primi quique tres versus sunt altera, & posterior tome bipartiti exametri heroici. Quos facillime metiere, si primo carpseris aut unam longam, aut duas breves syllabas, & quasi mora suspensus, progrediare deinde per dactylum, vel spódeum, ita tamen, ut penultimus pes semper sit dactylus, ultimus spondeus, siue trochæus

H 3 sic:

Sic: Du -- ris ex -- -- ercita -- o bellis --
 vel : meli o o orem . . . &c.
 vel spec -- tataque -- o o : &c.

Quartus quisq; est altera, & posterior
 come pentametri, notæ quantitatis.

Sunt & disticha intercalaria ex examen-
 tris, & pentametris.

Postremo te monitum volo, amice
 Lector, in versibus huius dramatis
 magnam habēdam esse rationem postre-
 mi pedis, siue penultimæ syllabæ versuum
 aliquorum. Puta in Trimetris acatalecti-
 eis, qui dissyllabis tantum pedibus con-
 stant, quiq; cæsurashabent, penultimam
 eorum syllabam semper breuem esse de-
 bere, atque ideo sextum, ac postremum
 eorum pedem semper esse aut iambum,
 aut trochæum ita expressos, ut sint ij pe-
 des in verbo minimum trifyllabo; eo sci-
 dicet

licet consilio, ut verbi postremi in eō ver
su penultima syllaba etiam ad aurium
sensum breuis pronuntietur. Idem esto
edictum in dimetris acatale&ticis è dissyl-
labis, & cum cæsuris.

Idem etiam in dimetris catale&ticis,
qui e dissyllabis tantum pedibus, sed nul-
las habent cæsuras. Ideo id te moneo,
quia sine hac cura versus inconcinni, &
ingrati ad aures acciderent.

Exempla, in Trimetro acatale&ico è
solis dissyllabis, sed cum cæsuris, actu se-
cundo, scena prima..

Tuis flammescant age corda vobis.

Heus quisquis ades excute marcentibus, &c.

In Dimetro acatale&ico è dissyllabis
cum cæsuris.

Sat est: iam cornu sileat.

Venaticum præcordijs, &c.

In dimetro è dissyllabis, sed sine cæsu-

ris, Chori Pastorum saltatione prima:

Blanda Doris auris.

Cælo, terris oscula &c.

In ijs igitur versuum generibus hac se
lege perpetua, quod ad ultimum inte-
grum versus pedem, sive ad penultimam
versus syllabam, se author obstrinxit. Ni
facias, pereat harmonia.

Ratio
variorū
versuū
in diuer-
bijs.

IN diuerbijs deniq; Author sub uno, &
codem genere metri vsus est qua-
ternis tomis, seu sectionibus promiscue,
modo catale&ticis, vel acatalepticis, mo-
do dimetris, vel trimetris ad diuerbian-
tium verisimilitudinem. Vero enim si-
milius, & iucundius est inter colloquia
variari periodos, quam semper cadere
in eundem ambitum.

Nec

Nec defunt antiquorum Græcorum exempla, præsertim Euripi dis, cuius aliquę Tragœdię scenis constant conflatis ex vario versuum genere, Trochaeicis, elegiacis, iambicis, anapæsticis, dimetris, trimetris, catalecticis, acatalecticis promiscuē.

Versus verò breuiores, ac molliores, quibus author plerumq; utitur etiā in Diuerbijs, ij non solum congruunt sylvestribus delitijs, in quibus totum hoc Drama est, sed in primis aptissimi sunt ad affectus doloris, atq; iracundiæ imitandos; cum experientia sit perspicuum natureq; instinctu frequenter, & minutim carpi, & concidi per brevia membra orationem à dolentibus, ac iratis.

Vale, Lector, ac esto beniuolus;

INDEX POETICVS.

AFFECTVS, act. 3. tota scena 1.
præsertim à versu 40. ad finem, & scen.
2. tota cantiuncula. act. 5. scena 4. tota.
AGNITIO cum Peripetia act. 5. scen. 3.
vers. 143 ad finem.

DESCRIPTIONES

Apum mane mella legentium act. 2. scen. 1.
vers. 7.

Aurę mane spirantis act. 2. scen. 1. act. 3. sal-
zatione 3. strophe 3. & 4. Verno tempo-
re spirantis ibidem stroph. 4. Tranquillo
mari spirantis ibidem stroph. 7.

Aurorę nascentis act. 2. scen. 3. in Chorēa,
stroph. 11. ē mari nascentis act. 4. scen.
1. stroph. 2. 3. 4.

Cubantium in umbra act. 4. salt. stroph. 3.
Delphini noctu per mare labentis, act. 5.
scen.

S.
na 1
scen.
.tota.
2.3 4
en.1.
3. sal.
mpo.
quillo
oréa,
.scen.
ob. 3.
itt s.
e. No.

scen. 3. vers. 24.

Ederæ in altum serpentis act. 2. scen. 4.
vers. 45.

Florum secus repas act. 2. scen. 4. vers. 35.
et 60.

Fontium flores rigantium act. 2. scen. 1.
vers. 20.

Gallie Narbonensis, et loci amoenissimi act. 1.
stroph. 13. 14 et seq. ad 21. stroph.
25. Et c. Et stroph. 29. Et c.

Lunæ cornuatae act. 1. scen. 3. in Chorœa
stroph. 1. Crescentis, plenæ, descrescen-
tis, stroph. 3. 4. 6.

Maris tranquilli act. 1, salt. 1. stroph. 1. Et
act. 4. scen. 1. stroph. 6. Aestuantis, ibi.
stroph. 5. Cingentis terras stroph. 7.

Meridiei act. 3. salt. 3 stroph. 1.

Noctis extremæ act. 1. stroph. 1. Noctis ma-
rine act. 5. scen. 2. vers. 10.

Pacis ab effectis. act. 1. salt. 1 stroph. 2. Et 3.

Pi-

Piscationis nocturnæ act. 5. scen. 3. à versu
10. ad 47.

Prati, & florum manè sub Aurora roscido-
rum. act. 2. salt. 2. Stroph. 1. 2. 3. 4.

Riui per prata labentis act. 2. scen. 2. in
cantiuncula Stroph. 2. Per flores labentis.
act. 4. in salt. Stroph. 6.

Rhodani in mare labentis act. 1. Stroph.
17. & act. 4. scen. 2. vers. 96.

Solis è mari nascentis act. 4. scen. 1. Stroph.
8. & 10. In mari occidentis ibi. Stroph. 9.
Occidentis act. 4. in salt. Stroph. 2.

Tauri act. 4. scen. 2. vers. 34. ferocientis.
vers. 50. & 66.

Telluris vere nouo florentis act. 2. scen. 2. in
cantiuncula Stroph. 3.

Tempestatis marinæ act. 1. Stroph. 7. 8. &
sequ.

Venationis act. 3. in salt. Stroph. 2. & act.
4. scen. 2. tota,

Vmbre serotinae act. 4. in salt stroph. 2. 4. 5.

FORMA fragilis act. 3. scen. 2. cantuscula.

NODI solutio narratur act. 4. scen. 3. vers.
13. & act. 5. scen. 2. à vers. 10. ad 45.
& act. 5. scen. 5. vers. 150.

SIMILITUDINES ceruis saucij. act. 5.
scen. 5. vers. 69. Fluminis ripas abrumpe-
tis, & Fulminis è nubibus elisi act. 4.
scen. 2. à versu 73. ad 83.

VITAE Rusticae laus act. 2. scen. 1. cantus-
cula.



No.

